

Q. K. 517, 11.

X 1388951



AMBROSIO SPECZERO
ARGENTINENSIS:

DOCTO CUM PRIMIS
ET HONESTO IUVENI: M. MEL
chioris Specceri Clarissimi viri p. m. filio: cum in
celebri Argentoratensium Academia, prima
ei Laurea conferretur: Magnifico D.
Rectore, M. Melchiore Iunio: spe.
ctabili Decano D. D. Ioanne
Pappo: prid Non.
Iunij.

GRATVLANTVR AMICL



ARGENTORATI
Typis Nicolai Wyrioti,
C I D. I D. L X X X I V.



EPIGRAMMA,
 AD REVERENDVM
 VIRVM D. PANCRATIVM KE.
 FELIVM, ECCLESIAE THOMANAE
 APVD ARGENTINENSES
 MINISTRVM.



*Siccine, PANCRATI, natos spectare virentes:
 Siccine pegasidum munera ferre placet?
 Nec sumptus obstant: nec qui labor undiq; crescit?
 Dum sobolem studijs largus utramq; dicas!
 Sed nimium ô felix, totoq; ex asse beate:
 Quem celebri exornant piguora laude, gradu.
 Diuitia quid enim? Dives quid Colchica tellus?
 Existat prolis si scelerata manus?
 Non ego curarem faceremve vel unius assis
 Doctrinam vel opes: nî pia vita regat.
 Ast coram cernis, KEFELI, premia nati:
 Praemia Doctrinae laurea ferta vides.
 Doctus is est: pius est: vitam gerit atq; modestam
 Qui patres, matrem qui Decorare studet.
 Ergo novos Lauri, PANCRATI, grator honores
 SPECZERO nato quos schola nostra refert.
 Grator VTRIq; hilarifauco quoq; corde: Deumq;
 Mygdonij durent secula longa, precor
 M. Paulus Crusius Molendinus.*


AD A. SPEC CERVM.



*E Speccere colo, te diligo: namq; parentis
 Te video clari clara trophæa sequi.
 Cuius principium est: lauro contexta corona,
 Solerti & gnavo concilianda viro.*
 A Altera

Altera si sequitur, vestigia plena subisti,
Si non arte: tamen, moribus, Ore, FIDE.
Mente vales, linguas calles, blandisq; Serene
Moribus edulces Relligionis opus.
Hæc malè viuendo benè si doceatur, hebescit,
Si mala sit, vitam reddit & ipsa malam.
Ergo mane constans, munitus dogmate puro
Schismate posthabito discutiente pios.
Gratulor interea primo gradui superato
Cumq; tuo crescet carmina honore mea.
Dauid Renlinus Vlmensis.

ALIVD.

 Incere quæq; solet, cui res est seria cura:
Tam grave nil, quod non ars leuet ingenua.
Hoc erat, insomnes olim quod ducere noctes,
Artes atq; bonas discere cura fuit.
Hinc SPECERE tibi nomen, laudesq; perennes
Expurgunt; nullo quæ violanda modo.
Laurus amata tibi dudum fuit: hinc tua lauro
Tempora cinctâ replent omnia odore suo.
Ambrosius vigor hic tuus est vel nectare Diuum
Gratior: irriguo qui velut ore fluit.
Sed, te clara mouent, Video, vestigia fratris,
Doctrina atq; fides officiosa, tui:
Quin potius chari impellit te fama parentis
Eximia: eximij, conspicuiq; viri.
Est generosi animi, laudem virtutis a vita
Sectari: factis exprimere atq; suis.
Degener haud animus vitam moresq; probatos
Maiorum sequitur: spernit amanda miser.
Destituor vena: tantum ut tibi grater honorem:
Quem tua promeruit relligiosa fides.
Quis mihi det cantare satis virtutis amorem:
Ingeniumq;

Ingeniumq; tuum: quis decus eloquij.
Est gracilis mihi, nec saliens, sed rustica vena:
Attamen hæc iussit scribere plenus amor.

M. Ioannes Scheuring
Salisburgensis.

ALIVD.



Hoc virtutis erat caput has efferre per artes,
Quæ tibi, Quæ patria commoda magna ferent.
Hoc virtutis erat Sacram non spernere laurum
Spernere nec Sacri signa Magisterij.
Non etenim poterit quis scandere palladis arcem:
Nec Parnasiaco fonte levare sitim.
Cui non Vranie comitata sororibus ultro
In laudes venit, & laurea ferta gerit.
Gratulor ergo tibi lauri de fronde coronam:
O Speccere animi pars generosa mei.
Et precor, ut patrias exornes laudibus oras:
Ut spolia à Musis plura referre queas.
Quod superest, semper felicibus utere fatis,
Viue diu prosper, tuq; Paterq; tuus.
M. Leonhartus Hutterus.

ALIVD.



EST magnum, gessisse manu, furialia bella,
Atq; armis hostes expoliasse suis.
Hunc comitantur enim, laudes, clariq; triumphi:
Hunc celebrat Clarum bellica turba virum.
Hunc etiam historie memorant, hunc scripta recensent:
Stelligerosq; vehunt nomen ad usq; polos.
Nec tamen ingenuas didicit qui grauter artes:
Cogitur huic cedat, fert sed uterq; decus.
Nam Parnasi ardet celsos qui visere Colles:
Castraq; Thespiadum gaudet acerba sequi.

Non

*Non debet stertens, durum vitare laborem:
 Cum tempus, subito nobile praterat.
 Sed potius doctorum avidus cognoscere scripta:
 Atq; laboratis inuigilare libris.
 Sic (quorum nomen, toto nunc splendet in orbe:
 Et quod in aeternum, docta caterna colit)
 Maiorum nobis imitari scripta licebit:
 Querere & inuentis alteriora pijs.
 Ergo, cum quoq; sis Musarum castra sequutus:
 Bellica non unquam miles ad arma piger.
 Nunc viridis merito cingit tua tempora laurus:
 Et referunt Musae premia digna tibi.
 Sit precor Ambrosi felix honor atq; perennis:
 Aeternumq; tibi nomen in orbe creet.
 Detq; Deus repetas Specceri facta parentis:
 Quem celebrat claro nomine fama Virum.*

Daniel Rixinger Argentinensis.

ALIVD.



*Ic igitur fas est mentē formare per artes.
 Castraq; Musarum prosperiora sequi:
 Scilicet ut possis laudem virtute mereri,
 Nomen & ingenio conciliare tibi.
 Multa feras, qui magna cupis: Nam multa ferentem
 Semper magna manet gloria: magnus honor.
 Non emitur virtus precio, nec venditur ere:
 Illa labore venit, non aliunde venit.
 Non facile est sacros Phœbi conscendere montes;
 Nec datur ad Musas currere lata via.
 Multus ad egregie virtutis culmina ducit
 Sudor, & infractus cum pietate labor.
 Quid non sedulitas? quid non Duce Apoll. virtus?
 Mentis & arcana vis animosa facit?*

A 3 Per

*Per rerum varios est dequirenda labores
Fama tibi: vult hac sedulitate peti.
Certè fert fructus, ferro renouatus adunco
Non nisi, vel grauida tempore messis, ager.
Quin veluti, boreas herbis cum demit honorem,
Terraq; vernantes frigore claudit opes;
Congestis estate cibus Formica potitur,
Et precium duri dulce laboris habet:
Sic decet ingenuas didicisse fideliter artes,
Donec adhuc viridis vernat in ore color;
Usquando incipiunt crines albescere canis,
Exhausti videas molle laboris onus.*

*Aude igitur merita es meritò super astra ferendus
SPECERERE, aonij pars benè nota chori;
L Hæc tibi quòd fuerit mens vsq; infixæ medullis,
Quò possis studijs incubuisse bonis.
Vndè tibi viridi decorantur tempora lauro,
Vndè tegit roseas pulcra corola comas.
At tibi, quandoquidem dulces gratantur amici,
Et captis optant omina fausta tuis:
Sic dulci des im ne dulcis amicus amico,
Addo preces precibus, cum precibusq; fidem.
Ergo novos titulos quos suscipis, auspice christo,
Fortunet rector spe meliore poli,
Eius & auspicijs seges ut tua crescere pergat,
Exoraturus pergo rogare Deum.
Aude animo forti: & captum decurre laborem.
Sit tibi post fatum nobile nomen erit.
Querito virtutis, doctrinae querito callem:
Et quo cepisti pergere, perge pede.
Eximia est virtus remis iucumbere rebus;
Semper & admissò subdere calar equo.*

Non


*Non decet incepto victum desistere velle:
Est virtus placidè tedia multa pati.*

**DISTICHON NUMERALE,
diem, mensem, & annum
continens.**

*L V C E p̄lo q̄ Varta Mens Is t̄l b̄l IVn̄j honores
Spe Cere, aß Crisp̄s It Phab̄Vs ap̄o LLo no Vos.*

Michael Clenovius Hamburgius Saxo.

FINIS.



B.I.G.

Farbkarte #13

Q. K. 517, 11. X 1388351

Π m
9210

AMBROSIO SPECZERO
ARGENTINENSIS:

DOCTO CVM PRIMIS
ET HONESTO IUVENI: M. MEL
chioris Specceri Clarissimi viri p. m. filio: cum in
celebri Argentoratensium Academia, prima
ei Laurea conferretur: Magnifico D.
Rectore, M. Melchiore Iunio: spe.
ctabili Decano D. D. Ioanne
Pappo: prid Non.
Iunij.

GRATVLANTVR AMICL



ARGENTORATI
Typis Nicolai Wyrioni.
CIC. DC. LXXXIV.

